

ipsos aut in Pontificis, aut in Ecclesiæ of-  
 fensionem casuros esse, si meliora & ve-  
 riora amplectantur. Contrà si vera pro-  
 fiteantur, neque tamen sententiam suam  
 tueri queant, nihil aut sibi aut rebus i-  
 psis nocituros esse, si à Sophistis disputandi  
 scientia, in bona causa victi Pontificem ap-  
 pellent: Nunquam ea in dogmatum disce-  
 ptationem, quæ usitata hæctenus semper  
 fuerit, abrogasse Pontificem, veritatis, ut sua  
 ferret opinio, studiosum & amantem: ne-  
 minem impingere, qui in luce ambulet, ne-  
 que ingratum aut molestum Pontifici ejus-  
 que Senatoribus fore, si idiotæ de his, quæ  
 ad salutem omnium pertinerent commu-  
 nem, rectè erudiantur: totius orbis Chri-  
 stiani maximè interesse, si quid in doctrina  
 cœlesti propter errorem & inscitiam inter-  
 pretum sit depravatum, ut id divulgetur  
 Christianis omnibus. Quod verò Theo-  
 logi sui disputare recusent, in eo discedere  
 illos à professione & dignitate sua, ob quam  
 & in cathedris eminentiorem sedem, & in  
 conviis scholæ solennibus primas accuba-  
 tiones sibi vendicent. Quod si neque mu-  
 nus suum neque titulos sustinere ac tueri  
 possint, multo minore impensa, & majore  
 cum

cum